



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa
Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Disputatio CIV. De impedimentis Matrimonii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

Ecclesie, tum periculum perversionis, est tamen validum & insolubile: ita Sanchez d. 72. n. 4. Layman t. 10. c. 14. n. 2. Filiucius c. 6. n. 228. Bonacina q. 3. p. 7. n. 1. Tan. to. 4. d. 8. q. 4. d. 5. & alii communiter.

Quid ubi
vivunt ha-
retici mixti
Catholicis.

Dixi ut plurimum; Sanchez enim Filiucius & Bonacina aiunt in locis ubi permixti vivunt hæretici cum Catholicis, qui libertate fruuntur, ut in Germaniâ, Galliâ, & Poloniâ, secluso scandalo & perversionis periculo id ex consuetudine licere, quod tamen negat Tannerus, & Laymannus ob gravia quæ inde proveniunt incommoda. Sa tamen, Serrarius, & Laymannus aiunt licitum esse, si acatholicus promittat se catholicam fidem post nuptias susceperum, & causa subsit cur nuptiæ abolitioni ab hæresi anteponantur. Eodem etiam gradu quo peccat catholicus contrahens cum hæretico, peccat simi-

liter. Sacerdos assistens eius Matrimonio.

Quando uterque conjux infidelis convertitur ac baptizatur, & postea signo aliquo externo prius Matrimonium ratificat, sit Sacramentum ratum, & insolubile, sicut fidelium, & si consumment, erit planè indissolubile. Summus Pontifex tamen in consummato infidelium convertorum matrimonio dispensare potest, nisi consumment denuò post Baptismum, ut ait Sanchez l. 2. d. 17. Itaque licet contractum prius fuisset cum impedimentis ecclesiasticis, modò non contra legem naturæ, ut si Pater filiam, aut frater sororem duxisset, esset validum, ex pluribus autem uxoribus infidelis conversus ducere debet primam, si illa velit converti, hæc enim sola est vera uxor; si converti nolit, ducere potest ullam ex reliquis; aut aliam quamcunque fœminam.

Quid si
uterque
conjux con-
vertatur.

Si quis plu-
res habeat
uxores.

DISPUTATIO CENTESIMA QUARTA.

De impedimentis Matrimonii.

SECTIO PRIMA.

De impedimentis dirimentibus Matrimonium.

I.
Duplex ge-
nus impedi-
mentorum.



UÆRES primò: Quæ sint impedi-
menta Matrimonii, & à quo pos-
sint induci? Impedimenta Matri-
monii alia sunt impediencia tantum,
ne scilicet licitè contrahatur, alia
impediencia simul & dirimentia,
cum quibus nec licitè contrahitur, nec validè.
Dirimentia numerantur hæc duodecim:

Impedimen-
ta dirimen-
tia.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Si sis affinis, si forè coire nequibus.

Alia tria.

His Concilium Tridentinum duo alia adjunxit,
nempe si parochus & duo saltem testes non adsint,
& raptum mulieris quamdiu non est plenè suæ li-
bertati restituta. Tertium additum est à Gre-
gorio XIII. in Bullâ Ascendente Domino, nempe
tria vota simplicia post novitatum emissâ à reli-
giosis Societatis J. S. U. De prioris generis im-
pedimentis dicitur postea.

Quinam en
instituerè
possint.

Quoad secundum, spectatâ solâ naturâ rei
Principes omnes & magistratus, qui leges ferro
possunt, possunt etiam pro suis subditis fidelibus
statuere impedimenta dirimentia & impediencia
Matrimonium, cum sit contractus humanus: nec
per hoc mutatur quod in Sacramentum sit eleva-
tus. Unde de factò hoc possunt Principes tam
Christiani, quàm Ethnici pro Matrimoniiis sub-
ditorum suorum infidelium.

Hæc modo
Ecclesie re-
servat sibi.

Ecclesia tamen hanc potestatem circa Matri-
monia fidelium Principibus sæcularibus ademit,
ac sibi reservavit, sicut & alias causas matrimo-
niales; id enim decuit postquam factum est Sa-
cramentum. Per consuetudinem tamen Laico-

rum simul cum Ecclesiasticis possunt hæc impe-
dimeta auferri, & alia induci: ita Sanchez l. 7.
d. 1. 3. & 4. Bonacina q. 3. p. 1. Layman s. 10.
p. 4. c. 1. Filiucius t. 10. p. 2. c. 1. Coninck d. 30.
d. 1. & alii.

Quæres secundo: An, & quomodo error ir-
rigit Matrimonium? Error personæ invalidum
reddit Matrimonium, non sic error qualitatis,
nisi in personam redundet: ita Sanchez l. 7. d. 18.
Henriquez l. 11. c. 10. Coninck d. 31. n. 1. Bo-
nacina q. 3. p. 2. Layman t. 10. p. 4. c. 2. Filiu.
t. 10. p. 2. c. 2. & alii. Ratio primæ partis est,
quia Matrimonium consistere nequit sine con-
sensu in personam cum quâ intendit contrahere,
qui tamen hic non est in eam cum quâ contrahit,
sed in aliam quam mente concipit. Quare nec
inter infideles valeret hoc Matrimonium, cum
non ecclesiastico tantum jure, sed etiam naturali
sit irritum, ut si putet esse Caiam, & est Sempro-
nia, quod etiam verum est, licet ita animo af-
fectus esset, ut licet sciret esse Semproniam, il-
lam duceret. Valeret tamen Matrimonium si
mente diceret, quæcunque es contraho tecum.

II.
Error perso-
næ & qua-
litatis

Error per-
sonæ diri-
mit.

Secunda pars probatur, quia error qualitatis
non tollit consensum in substantiam rei, sicque
non reddit Matrimonium simpliciter involunta-
rium, sed solùm secundum quid, ut si putet esse
divitem, aut virginem, quæ non est, idque licet
per dolum factum sit dantem causam contractui,
seu sine quo non fuisset celebratum Matrimo-
nium, in quo differt Matrimonium ab aliis con-
tractibus. Si tamen qualitas apponatur per mo-
dum conditionis, Matrimonium illâ non subsi-
stente est nullum, cum sit honesta, ut suppo-
nimus.

De errore
qualitatis.

Tertia etiam pars probatur; si enim error qua-
litatis redundet in personam, non præbet con-
sensum huic personæ in particulari præfenti, sed
alteri quam per tales qualitates descriptam mente
concepit,

Quid si er-
ror qualita-
tis redundet
in personam

concipit, quod tunc contingit, quando per unam aut plures qualitates certa persona describitur, quæ aliàs ei est ignota, ut si Rex aliquis habeat unum filium, cui Principis alicujus filia vult nubere, si alius fingat se Regis illius filium, Matrimonium cum eo est nullum, cum illam personam sibi canon designaverit. Aliud est si solum statuisset nubere filio Regis; tunc enim si Titius fingat se esse filium Regis, Matrimonium tenebit, cum error sit in solâ qualitate.

III. Est inter liberum & servam.

Quid si sciat esse servam.

Quando hoc impedimentum contingat.

Matrimonium servis jure naturali concessum.

De servitute prolis.

IV. De voto simplici.

Quæres tertio: Quid sit impedimentum conditionis, & quomodo irritet Matrimonium? Error conditionis tunc contingit quando liber contrahit cum servâ, putans esse liberam, quo casu Ecclesia voluit Matrimonium esse nullum, cum liber plenam corporis sui potestatem tradat servæ, & illa sui vicissim tradere nequeat, cum à Domino vendi possit, & in partes etiam remotissimas ablegari, sicque servitus stabilem obligationem secum affert, obligationi matrimonialium contrariam. Si tamen liber sciat, aut probabiliter suspicetur illam esse servam, Matrimonium est validum, cum sibi imputare debeat quod eam duxerit.

Tunc ergo contingit hoc impedimentum quando conditio errantis sit deterior. Unde si servus ducat servam, aut liberam putans esse servam, vel servam putans esse liberam, & à fortiori si ducat liberam putans esse liberam, Matrimonium est validum. Idem est si liber ducat servam, quæ ipso facto sit libera, ut si Dominus ducat servam suam eo loco ubi eo ipso redditur libera, vel servum aut servam suam det alteri in Matrimonium nescienti conditionem eorum servilem, vel si ubi videt talem contractum fieri, tacet ex industria; statim enim fiunt liberi: ita Sanchez l. 7. d. 19. Filiucius t. 10. p. 2. c. 2. n. 35. Bonacina q. 3. p. 3. Layman t. 10. p. 4. c. 2. n. 3. Coninck d. 31. d. 2. n. 24. Henriquez l. 11. c. 10. n. 4. & alii communiter.

Possunt servi Matrimonium, etiam invitis dominis contrahere, cum iis hoc jus natura majus jure dominorum concesserit: peccat proinde graviter dominus Matrimonium servi vi aut minus impediens, licet minari possit subtractionem beneficii sponte concessi: ita Sanchez d. 21. Fil. n. 5. & alii. Multo minus potest dominus servum ab usu Matrimonii jam contracti impedire, nisi gravissima urgeret necessitas, unde vel contra justitiam, vel saltem contra charitatem peccat, cum in partes remotissimas, ita ut debitum reddere non possit, cum periculo incontinentiæ vendendo.

Quoad servitutem prolis, partus sequitur ventrem, quare filius ancillæ est servus, si mater serva fuerit tempore conceptionis, & toto tempore usque ad partum inclusivè. si verò ullo tempore ante partum mater fiat libera, proles est libera, quamvis tempore conceptionis mater fuerit serva.

Quæres quarto: Quomodo votum irritet Matrimonium? Quamvis votum simplex castitatis non mutans statum (ut faciunt tria vota simplicia Societatis Jesu) votum etiam religionis & sacrorum ordinum non reddant Matrimonium invalidum, peccat tamen mortaliter quisquis cum iis illud contrahit, cum faciat contra fidem Deo datam in re gravi. Contrahens Matrimonium cum voto castitatis non potest debitum petere, potest reddere, contrahens verò cum voto religionis, aut sacrorum ordinum, & reddere po-

test, & petere; necdum enim vovit castitatem, sed tantum habet votum illam ponendi, unde mortuâ uxore tenetur à nuptiis abstinere, & ad religionem vel ordines transire: ita Sanchez l. 7. d. 11. Filiucius t. 10. c. 9. n. 275. Layman t. 10. p. 4. c. 3. n. 5. Bonacina q. 3. p. 14. num. 7. & alii.

Votum solenne in religione dirimit jure Ecclesiastico Matrimonium: ita Sanchez l. 7. d. 26. Bonacina q. 3. p. 4. n. 2. Filiuc. t. 10. p. 2. c. 4. n. 117. Layman t. 10. p. 4. c. 3. & alii, estque hoc fide certum, & in variis Conciliis definitum. Ratio est, quia congruum videtur, ut qui stabili obligatione vitæ perfectioris se Deo consecravit matrimonio spirituali, inhabilis sit ad statum imperfectiorem matrimonii corporalis. Si post consummatum Matrimonium conjux invito altero conjuge aut ignaro, vel licentiâ, vi, metu gravi, aut dolo extortâ, ingrediatur religionem, & professionem in eâ emitat, non solum est illicita professio, sed nulla, qui proinde, conjuge eum repente, tenetur redire & cohabitare, ac debitum reddere, licet petere non possit, eo quod votum quod emisit sit votum simplex castitatis: ita Sanchez l. 7. d. 34. Bonacina q. 3. p. 4. n. 9. Filiucius c. 4. n. 140. & alii. Quod si conjux in sæculo relictus committeret adulterium, quod esset notum, non posset alterum revocare, licet professio fuerit invalida.

Sin verò obtentâ conjugis licentiâ ingrediatur, & professionem emitat, erit valida: ut autem licitè fiat, debet qui manet in sæculo aut ingredi religionem, si sit juvenis, vel suspectus de incontinentiâ, aut si senex, id est, annorum sexaginta in viro, quinquaginta in foeminâ, potest manere in sæculo, modo emitat votum castitatis, & de incontinentiâ non sit suspectus.

Quæres quinto: Quomodo jus tribuat conjugibus bimestre ad ingressum religionis post Matrimonium ratum? Notandum cap. Ex publico, duorum mensium spatium ab Ecclesiâ conjugatis concessum esse ad deliberandum utrum religionem ante Matrimonii consummationem ingredi velint, quo tempore neuter tenetur alteri debitum reddere, cum ante elapsum hoc tempus jus nullum habeat in corpus alterius.

Intra hoc ergo tempus, si Matrimonium consummatum non sit, potest unus conjugum, etiam altero invito religionem ingredi, alter verò expectare debet donec professionem emitat, antequam possit aliud Matrimonium inire, sicque si uxor tantum sit duodecim annorum, expectare is debet usque ad annum ejus decimum sextum expletum, cum antea juxta Tridentinum ses. 25. c. 15. de regularibus, professio nulla sit valida: ita Sanchez l. 2. d. 24. n. 8. Bonacina q. 3. p. 4. n. 5. Filiucius t. 10. p. 1. c. 2. n. 50. Lay. t. 10. p. 3. c. 6. n. 3. Coninck d. 26. d. 4. Henriquez l. 12. c. 5. n. 8. & alii. Post bimestre verò, licet peccet conjux non reddendo debitum petenti, si tamen non consummet potest religionem ingredi, & professio est valida: ita Sanchez n. 27. Bonac. n. 4. & alii.

Si verò Matrimonium consummatum sit intra bimestre, etiam per vim (copulâ tamen naturali, & ad prolis generationem aptâ) nunquam dirimitur per professionem subsequenter, quantumvis validam. An verò in eo casu conjux per vim cognita possit ingredi religionem, Henriquez & alii nonnulli negant, quia Matrimonium verè est consummatum, deinde ex illâ copulâ potest nasci proles,

Votum solenne in religione dirimit Matrimonium.

Licentia à conjuge obtenta.

V. Bimestre concessum.

In hoc bimestri ingredi potest religionem.

Quid si Matrimonium intra bimestre sit consummatum.

proles, quæ sine matre commodè educari non potest: Sanchez tamen l. 2. d. 22. n. 6. Coninck, Layman n. 3. Sylvester, & alii putant posse, sicut posset ob adulterium alterius conjugis; proles autem alio modo nutririi posset.

*Requiratur
nè consensus
Episcopi.* Utrum autem quando vel alter conjux de alterius licentiâ, vel uterque ingredi vult religionem; requiratur consensus Episcopi, conveniunt omnes non esse necessarium ut professio sit valida, Bonacina tamen ait esse præceptum obligans sub mortali ad petendam licentiâ Episcopi, Sanchez verò l. 7. d. 32. n. 3. Filiucius c. 4. n. 132. & alii affirmant nullum esse præceptum, sed solum ex honestate quadam requiri.

*VI.
Ordo major
dirimit.* Quæres sextò: Quomodo ordo impediât Matrimonium? Ordines majores, seu facti Matrimonium eos subsequens dirimunt: ita Sanch. l. 7. d. 28. Filiucius t. 10. p. 2. c. 4. n. 121. Bonacina q. 3. p. 9. n. 8. & 12. Layman t. 10. p. 4. c. 2. n. 3. Henriquez l. 12. c. 5. n. 9. Coninck de Sacram. Ordinis d. 2. d. 11. n. 116. & omnes.

*Quid si Ordo non sit
validè susceptus.* Conclusio est de Fide, & definita in Concilio Tridentino ses. 24. can. 9. & alibi. Intelligenda autem est de Ordine validè suscepto; aliter enim Matrimonium est validum, cum votum solenne castitatis solum sit accessorium ordini facto, principali itaque cessante cessat accessorium. Imo ne voto quidem simplici castitatis tenetur, unde & licet contrahit Matrimonium: in quo differt ab invalidè professio; hic enim primariò intendit vivere castitatem, quam proinde vovet quantum potest, aliter verò solum ordines intendit primariò, vovere autem secundariò, & dependenter à sacris ordinibus, qui cum hic nulli sint, nullum etiam est votum.

*Ordo per
voto susceptus.* Ordines ex metu gravi incusso suscepti non irritant Matrimonium, nec ad continentiam obligatur sic ordinatus, aut ad recitationem officii (de quo plura postea cum de vi) sicut nec ordinatus ante usum rationis, modò hi verbis aut facto, utendo scilicet ordine, illum non ratificent: quod etiam in omnibus asserit Sanchez d. 30. n. 8. Filiucius de Matrimonio c. 4. n. 128. & alii de ordinato ante pubertatem, aut annum decimum sextum. Coninck tamen d. 14. n. 136. Bonacina n. 16. Sayro, Soto, & alii aiunt hunc obligari & ad castitatem, & recitationem officii. Ratio autem assertio est, quia Ecclesia (ex cujus solius præcepto oriuntur hæ obligationes) hæc opera tantum annexit Ordini sponte suscepto: quod Navarrus & Filiucius extendunt etiam ad metum levem, si sine eo Ordo susceptus non fuisset.

*Ordinatus
ante pubertatem.* Si quis verò ad sacros ordines promoveatur habens expressam voluntatem non se obligandi ad continentiam, obligatur nihilominus expresso Ecclesiæ, nec potest validè contrahere Matrimonium, sicut nec potest is qui ordines susciperet ignorans. is annexum esse votum continentie, imo etiam voto teneri hunc affirmat Sanch. l. 7. d. 27. n. 11. Azor l. 13. c. 14. q. 10. alii tamen negant.

*Quid si quis
noluit se obli-
gare.* Ordines post Matrimonium suscepti non illud dirimunt, unde sine licentiâ uxoris ordinatus post Matrimonium, etiam tantum ratum, potest ab eâ ad Matrimonium revocari secundum omnes, idque licet ad Episcopatum, imo Papatum sit evehctus, ut docet Sanchez l. 7. d. 38. n. 12. Filiucius n. 147. & alii apud ipsos. Ut verò de licentiâ uxoris ordines suscipiat, idem servandum quod supra casu 25. diximus de professione.

*Suscipiens
Ordines post
Matrimonium.* R. P. Comptani Theol. Schol. Tom. II.

Quæres septimò: Utrum liceat, aut unquam licuerit constitutis in sacris Ordinibus contrahere Matrimonium? Respondetur, nunquam licuisse: ita Sanchez lib. 7. d. 28. n. 3. Azor lib. 13. c. 12. q. 3. Vasquez to. 3. in 3. p. d. 247. c. 3. & d. 249. cap. 2. Tannerus to. 4. d. 7. q. 4. d. 2. Bellar. de Clericis t. 2. l. 1. c. 18. Bonacina q. 3. p. 9. n. 13. & omnes contra Cafetanum & Sotum dicentes Græcis diaconis id olim licuisse. Probatur conclusio ex can. 27. Apostolorum, ubi ex iis qui ad clerum provecti sunt, tantum permittitur lectoribus, & cantoribus, ut uxores accipiant.

VII.

*Constitutis
in sacris
nunquam
licuit ducere
uxores.*

Licet ergo in Orientali Ecclesiâ permissum Græcis sit, ut ante ordinationem contrahant Matrimonium, & eodem post ordinationem utantur, præterquam temporibus iis, quando altari deservire debebant, nunquam tamen permissum est post ordines contrahere.

*Quid Græcis
sit permis-
sum.*

*Ordines mi-
nores non
obstant va-
liditati Ma-
trimonii.* Dixi constitutis in sacris hoc nunquam licuisse; qui enim ordines tantum minores susceperunt, & validè & licetè contrahunt Matrimonium, imo si detur justa causa, ne venialiter quidem peccant, nisi ducant viduam, aut transeant ad secundas nuptias; tunc enim reddunt se ineptos ad ordinem exercendum, cum fiant bigami, sicque irregulares: ita Filiucius cap. 4. n. 130. Imo excepta bigamiâ Sanchez disp. 31. n. 12. putat sine justâ causâ contrahentes non peccare venialiter, sicut non peccat venialiter suscipiens ordines minores sine animo ascendendi ad majores: licet probabile sit eum, qui solo animo vitandi forni sæculare hoc faceret, peccaturum venialiter.

Quæres octavò: Quid sit impedimentum consanguinitatis, seu cognationis naturalis? Consanguinitas seu cognatio carnalis est vinculum perlonarum ab eodem stipite propinquo (alioquin omnes essent propinqui, cum proveniant à Noè & Adamo) carnali propagatione descenduntium. Unde inter Beatissimam Virginem & Christum fuit consanguinitas, non sic inter Adamum & Evam.

VIII.

*Quid sit
consanguini-
tatis.*

In hac re variè reperiuntur lineæ seu series personarum per diversos gradus: Primò ascendentiæ, ut Patris, Avi, Proavi; Atavi, &c. & vocatur linea ascendentiæ: deinde linea descendentiæ, ut filii, nepotis, pronepotis, abnepotis, &c. Tertia collateralium, ut fratrum inter se, & eorum, qui à fratribus descendunt. Quod de Patre, Avo, fratribus, & aliis diximus, eodem modo dicendum de Matre, Avia, fororibus, &c.

*Variè hic
sunt lineæ.*

Pro his lineis tres traduntur regulæ, prima pro lineâ ascendentiæ & descendentiæ, nempe quot in computo sunt personæ, tot sunt gradus, unâ personâ demptâ, unde Pater & filius sunt in primo gradu, nepos cum Avo est in secundo, quia hic computando unâ personâ demptâ remanent duæ, ibi una, & eodem modo de reliquis.

*Tres pro his
lineis regu-
læ.*

Secunda pro lineâ collateralium, nempe quando duo æqualiter distant à communi stipite, ut duo fratres, quo gradus distant à stipite, distant inter se, quando verò distant inæqualiter à communi stipite, tantum distant inter se, quantum remotior distat à communi stipite: sic frater & soror sunt in primo gradu, frater (seu Patruus) & fratris aut sororis filia (seu neptis) in secundo, & sic de reliquis.

*Regula pro
lineâ colla-
terali.*

Matrimonium in primo gradu lineæ ascendentiæ & descendentiæ, est jure naturæ irritum; id enim naturâ duce nationes omnes averfantur, & amicitiaque

*Quæ Matrimonia sint
jure naturæ
irrita.*

amicitiæque & æqualitati conjugali repugnat, cum eam reverentia filii in parentem non patitur. Non tamen ita est intrinsecè malum, ut in eo Deus dispensare nequeat, imo in extremâ necessitate, ut si in mundo solus filius cum matre, aut pater cum filiâ relinqueretur, probabile est licere, quâ ratione S. Chrysostomus, & S. Ambrosius filias Loth à culpâ excusant. Communior etiam opinio est jure naturæ irritum esse Matrimonium inter fratres & sorores.

Quorundam hac de re sententia.

Licet non improbabiler dicant aliqui Matrimonium in gradibus lineæ rectæ esse jure naturæ irritum in infinitum, sicque Adamum & Noë, si jam resurgerent, non posse ex his quæ modò vivunt uxores ducere, jam tamen jus canonicum (per quod alia jura positiva reprobantur) usque ad quartum tantum gradum irritat Matrimonia, tam in lineâ rectâ, quàm transversâ, idque sive ex licitâ sive illicitâ propagatione oriatur consanguinitas, ultra quem gradum liberè Matrimonia permittit, licet olim irrita fuerint usque ad septimum gradum: ita Sanchez l. 7. d. 51. à numero 15. Filiucius tr. 10. p. 2. c. 5. n. 171. Bonacina q. 3. p. 5. §. 1. n. 4. & 7. Lay. t. 10. p. 4. c. 4. Valentinus to. 4. d. 10. q. 5. p. 3. Tannerus to. 4. d. 8. q. 4. d. 4. n. 51. Coninck d. 32. d. 1. & alii.

Irrita tantum sunt usque ad quartum gradum.

IX. Est propinquitatis ex adoptione.

Quæres nonndò: Quid sit cognatio legalis, & an dirimat Matrimonium? Cognatio legalis est propinquitatis proveniens ex adoptione. Hæc jure Ecclesiastico dirimit Matrimonium, primò inter adoptantem & adoptatum, & adoptati descendentes usque ad quartum gradum, quod impedimentum semper durat, etiam adoptione sublata: secundò inter uxorem adoptantis & adoptatum, & inter uxorem adoptati & adoptantem, quæ similiter semper durat sublata adoptione: tertid inter filios aut filias carnales adoptantis & adoptatum, vel adoptatam, durat tamen solum quamdù filii illi vel filia sunt sub patriâ potestate, unde non contrahitur inter adoptatum & filios, vel filias illegitimas adoptantis; hi enim non transeunt in potestatem patris: ita Sanchez l. 7. d. 63. Filiucius t. 10. p. 2. c. 5. n. 198. Bonac. q. 3. p. 5. §. 3. Layman t. 10. p. 4. c. 7. Coninck d. 32. d. 3. Sa n. 6. & alii.

Hujus rei ratio.

Ratio est, quia inter hos contrahitur cognatio legalis. Filius itaque adoptantis potest contrahere Matrimonium cum filiâ adoptati, sicut etiam cum plures ab eodem adoptantur, possunt hi inter se contrahere, nam inter has personas nulla intercedit cognatio.

Quid sit adoptio.

Adoptio est legitima assumptio personæ extraneæ (id est non in potestate adoptantis, licet sit ex consanguineis) in filium, nepotem, & deinceps, seu in filiam, nepem, &c. nemo enim in fratrem, aut parentem adoptari potest. Duplex est, perfecta, quæ & arrogatio dicitur, per quam auctoritate Principis adoptatus transit in potestatem adoptantis, fitque hæres illius necessarius ab intestato, & ex testamento in quartâ bonorum parte: imperfecta adoptio fieri potest per quemvis magistratum inferiorem, nec transit in potestatem adoptantis, nec est necessari hæres ex testamento, sic tamen ab intestato.

Quid sit perfecta. Est duplex.

Sola arrogatio, seu adoptio perfecta inducit cognationem legalem. Ad adoptionem autem requiritur primò ut adoptans sit sui juris, & major viginti quinque annis, secundò, ut sit vir, non femina: tertid, ut possit generare, nisi ex casu accidentario: quartò, ut sit præsens: quin-

tò, ut possit esse pater adoptati, imò 18. annis illum superet. Nullus autem arrogare potest seu perfectè adoptare, qui quadraginta annos non sit nactus: ita Auctores citati.

Quæres decimò: Quid sit cognatio spiritualis, & quomodo dirimat Matrimonium? Cognatio spiritualis est propinquitatis personarum con-surgens ex Ecclesiæ statuto ob collationem Baptismi, & Confirmationis, vel susceptionem baptismi & confirmati.

Hujus cognationis tres olim erant species, Paternitas inter baptizantem vel suscipientem & baptizatum: Compaternitas inter baptizantem vel suscipientem & patrem ac matrem baptizati: & Confraternitas inter baptizatum & filios baptizantis vel suscipientis, & eodem modo de confirmante: nunc autem Concilium Tridentinum sess. 24. c. 2. sustulit confraternitatem, manente cognatione in aliis eodem modo quoad Baptismum & Confirmationem, etiam quoad susceptorum in Confirmatione, & ulterius statuit unum tantum deinceps esse susceptorem, sive vir sit, sive mulier, aut ad summum duos, virum scilicet ac mulierem.

Sola itaque Paternitas & compaternitas spiritualis dirimit Matrimonium. Quare si vir & uxor alienum puerum simul de sacro fonte suscipiant, non contrahunt inter se cognationem spirituales, sicque possunt petere debitum, quod non possunt ii, qui contraxerunt cognationem spirituales, nec peccant suscipiendo, cum passim permittatur. Unde ulterius duo soluti, qui infantem simul de sacro fonte susceperunt, possunt inter se Matrimonium contrahere: ita Sanchez l. 7. d. 54. n. 12. & d. 57. n. 5. Suarez 3. p. q. 67. a. 8. ad 3. Filiuc. t. 10. c. 5. n. 100. Bonacina q. 3. p. 5. §. 2. Henriquez l. 12. c. 11. Coninck d. 32. d. 2. Layman tr. 10. p. 4. c. 8. & alii.

Susceptor inprimis ut contrahat cognationem debet esse baptizatus, sicut & ut alius contrahat cognationem cum illo, & ut sit susceptor in confirmatione debet esse confirmatus. Sufficit autem quævis ætas, modò doli capax sit, licet susceptor baptizatum aut confirmatum ætate non superet. Debet autem verè tangere puerum dum baptizatur, vel statim à Baptismo, licet Bonac. Coninck, & alii dicant contrahi cognationem à suscipiente per procuratorem ad hoc missum, quod tamen alii negant. Si plures tangant successivè, primus est patrinus si sit ex designatis à parentibus, vel electis à parochò; casu quo parentes nullum designant. Si plures designati quàm duo simul tangant, dicunt aliqui omnes contrahere, alii nullum.

Quæres undecimò: Quid sit impedimentum publicæ honestatis? Impedimentum publicæ honestatis est propinquitatis ex institutione Ecclesiæ, proveniens ex sponsalibus de futuro, vel Matrimonio rato, idque propter honestatem Matrimonii. ita Sanchez l. 7. d. 68. Coninck d. 32. d. 5. Henriquez l. 12. c. 10. Bonacina q. 3. p. 11. Filiucius t. 10. p. 2. c. 6. n. 220. Layman t. 10. p. 4. c. 9. & alii communiter.

Hoc impedimentum ortum ex sponsalibus olim dirimebat usque ad quartum gradum, nunc autem Concilium Tridentinum sess. 24. c. 3. restrinxit ad primum gradum, unde contrahens sponsalia cum Caiâ contraheret Matrimonium invalidè cum ejus sorore, matre, aut filiâ, non tamen cum ejus affinibus, quare validè contraheret cum uxore fratris Caiæ. Sponsalia verò post Trident.

X. Provenit ex Baptismo & Confirmati.

Paternitas.

Compaternitas.

Confraternitas.

Quomodo dirimat Matrimonium.

Qua conditione suscipiente requiratur.

XI.

Unde provenit.

Quomodo procedens ex sponsalibus dirimat Matrimonium.

Trident. debent esse valida; ex quocunque enim capite deficient, inquit Navar. Bonac. & alii ex Trid. c. 3. non oritur hoc impedimentum, Sanchez tamen, Henriquez, Filiucius, Layman, & alii dicunt oriri, si merè sint irrita defectu consensus, nisi hic defectus possit probari. Olim inducebant hoc impedimentum quocunque etiam modo irrita sponsalia, praterquam ex defectu consensus.

Particularis
hac de re
casus.

Hinc sequitur si Titius contrahat sponsalia cum Caiâ, & postea habeat copulam cum ejus forore, neutram posse eum ducere, non hanc ob impedimentum publicæ honestatis, non illam ob impedimentum affinitatis ex copulâ cum forore. Impedimentum autem honestatis non cessat licet dissolvantur sponsalia ex mutuo consensu, imo nec morte alterius sponsi.

Quid dum
oritur ex
Matrimo-
nio rato.

Impedimentum publicæ honestatis proveniens ex sponsalibus de presenti, seu Matrimonio rato dirimit Matrimonium usque ad quartum gradum, ut declaravit Pius V. in Bullâ quæ incipit *Ad Romanum*: ita Sanchez d. 70. & alii citati, imo oritur ex Matrimonio rato invalido, nisi invalidum sit merè defectu consensus, cum in hoc jus novum non correxit antiquum, sicut correxit in sponsalibus. Si duo impuberes contrahant Matrimonium, malitiâ non supplete ætatem, non oritur impedimentum honestatis, nisi censetur hoc Matrimonium sponsalia.

XII.

Oritur ex
homicidio
& adulterio

Quæres duodecimò: Quid sit impedimentum criminis, & quomodo dirimat Matrimonium? Impedimentum criminis ad duo capita reducitur, homicidium, & adulterium: ita Sanchez l. 7. d. 78. & 79. Henriquez l. 12. c. 12. Bonacina q. 3. p. 6. Filiuc. t. 10. p. 2. c. 8. Coninck d. 31. Layman t. 10. p. 4. c. 10. & alii. Ut homicidium dirimat Matrimonium sufficit ut maritus occidat suam uxorem, vel hæc maritum quocunque ratione, ferro, veneno, per se vel per alium, si mors re ipsâ sequatur, & non solum intentetur, si tamen mandans alteri ut occidat uxorem vel maritum suum, & ante occisionem revocet mandatum, ita ut revocatio innotescat mandatario, non contrahit hoc impedimentum, sicut nec consules, ejus consilium non influxit.

Occidens
debet animo
contrahendi
Matrimonium.

Deinde debet & vir & femina conspirare in mortem conjugis; si enim alter occidat sine conspiratione alterius non contrahitur hoc impedimentum, nisi adulterium intercesserit cum parte eum quâ vult inire Matrimonium. Præterea, licet Scotus, Caietanus, & pauci alii asserant sufficere quocunque animo uterque alterum conjugem occidat, ut ex odio, vindictâ, &c. modò inter se ad hoc conspirent: communis tamen sententia tenet ad inducendum hoc impedimentum debere illos conspirare & occidere animo inter se contrahendi Matrimonium.

Quomodo
oritur ex
adulterio.

Ut adulterium inducat hoc impedimentum requiritur & ut sit adulterium formale ex utràque parte, ita scilicet ut uterque putet esse adulterium, & materiale, ita ut alter verè sit Matrimonio conjunctus; si enim alter putet alterum esse solum, vel alter aut uterque putet conjugem illius, quicum habet copulam, vivere, cum tamen tunc sit mortuus, non incurritur hoc impedimentum, sed possunt validè inter se inire Matrimonium.

Quid præter
adulterium
requiritur.

Uterius cum adulterio materiali & formali requiritur unum ex his tribus, vel occisio conjugis patrata animo contrahendi Matrimonium cum aliâ, quicum commisit adulterium, licet

R. P. Comptoni Theol. Schol. Tom. II.

unus tantum adulterorum in ejus mortem conspiret, ut si Titius conjugatus committat adulterium cum Caiâ solutâ, & is inficiâ Caiâ, vel hæc Titio inficio occidat uxorem illius animo contrahendi: vel ut Caius exempli gratiâ publicè vel privatim, seu clandestinè Matrimonium cum uxore Titii contrahat, & ante vel post Matrimonium istud, habeat cum eâ copulam: vel tertio ut ante vel post copulam mulier viro, aut vir mulieri promittat Matrimonium post mortem conjugis. Sanchez, Coninck, & Filiucius putant sufficere fictam promissionem, existimo tamen cum Henriquez, Bonac. & aliis requiri veram, non tamen mutuat, ut bene Sanchez, Coninck, Bonacina, & alii contra Henriquez. Debet tamen promissio esse acceptata, alioquin non est promissio, sed pollicitatio. Potest tamen hic contrahere cum aliâ quacunque personâ praterquam cum adulterâ. Hoc porro impedimentum est Ecclesiasticum, sicque non dirimit Matrimonium infidelium.

XIII.

Quæres decimo tertio: Quomodo vis dirimat Matrimonium? Questio est quænam vis seu metus dirimat Matrimonium: quâ in re conveniunt omnes metum gravem cadentem in constantem virum, si injustè incutiatur à causâ liberâ ad extorquendum consensum, dirimere Matrimonium jure Ecclesiastico: ita Sanchez l. 4. d. 14. Henriquez l. 11. c. 9. Lessius l. 2. c. 17. d. 7. Coninck d. 28. d. 1. n. 5. Bonacina q. 3. p. 8. n. 8. Filiuc. t. 10. p. 1. c. 4. n. 104. Lay, t. 10. p. 2. c. 5. n. 1. & alii. Licet verò S. Thomas, Divus Bonaventura, Richar. Scotus, Molina to. 2. tract. 2. d. 326. in solut. ad secundum, & alii dicant metum gravem jure naturæ irritare Matrimonium, contrarium tamen videtur probabilius, solo scilicet jure Ecclesiastico irritare, quod tenet Durandus, Navarrus, Sotus, Sylvester, Henricus Sanchez l. 4. d. 14. n. 2. & alii, nam metus justus, & incussus ab intrinseco, seu à causis naturalibus non minùs tollit libertatem quàm injustè incussus & à causis liberis, seu ab extrinseco, ut aiunt, & tamen ille non irritat Matrimonium.

Quis metus
irritat Ma-
rimonium?

Utrum jura
naturæ.

Dixi injustè incussus ad extorquendum consensum; si enim justè incutiatur ad hunc finem, licet probabile sit irritare Matrimonium, & tenet Bonacina n. 10. cum aliis, probabilius tamen est contrarium, ut ait Sanchez l. 4. c. 13. n. 3. & 9. bene explicans metum justè incussum esse metum damni debiti delicto, ut si quis latroni justam accusationem minetur nisi certam feminam ducat: sic etiam si pater juvenem inveniret cum filia & minaretur se eum do stupro illo accusaturum, nisi illam ducat, Matrimonium est validum, si ei antea fidem dedisset; nec enim propriè censetur inferri metus, sed offertur medium aufere metum jam ex delicto incussum: & hoc à fortiori, si eam vi oppressisset, si esset lex præcipiens sponte violatam ducere, si præcessissent sponsalia, & similia.

De metu
justè incussus?

Metus autem sive justus sive injustus incussus non ad contrahendum Matrimonium, sed ad alium finem, non irritat Matrimonium ex eo contractum, ut si medicus dicat infirmum moriturum nisi ducat uxorem, si Judex justè vel injustè ad mortem damnato liberationem promittat si ejus filiam in uxorem ducat, si medicus curare aliquem nolet, nisi filiam ejus ducat; metus enim non à medico incutitur, sed à morbo, & sic de aliis.

Metus ad
alium finem
incussus.

XIV.

Metus levis per se loquendo non irritat.

Quæres decimo-quartò : An metus levis, & reverentialis irritent Matrimonium? Navarrus, & alii nonnulli affirmant metum etiam levem irritare Matrimonium: probabilis tamen est contrarium, nisi planè tollat consensum: ita Sanch. l. 4. d. 17. Bonac. q. 3. p. 8. Filiucius, & alii: Ecclesia enim solùm Matrimonium irritavit quod metu gravi contractum est, æquum enim fuit ut subveniretur constantè operantibus, non levibus & instantibus, nisi consideratâ qualitate personæ, fœminæ exempli gratia, metus levis esset tantus respectu illius, ac magnus respectu alterius. Metus autem gravis per se loquendo est, quando nobis-ipsis aut nobis conjunctissimis timemus probabiliter grave aliquid malum, ut amissionem vitæ, magnæ partis bonorum, infamiam, mutilationem, &c. ad quæ reducitur metus reverentialis conjunctus cum minis, malâ tractatione, & similibus.

Metus reverentialis.

XV.

Quid sit cultus disparitas.

Quæres decimo-quintò : Quomodo cultus disparitas irritet Matrimonium? Cultus disparitas est Matrimonium contractum inter Christianum & non baptizatum, quamvis catechumenum, & qui Baptismum etiam invalidè suscepit.

Quid de Matrimonio inter Catholicum & hæreticum.

Matrimonium Catholicorum cum hæreticis, validum quidem est, sed illicitum, tum quia prohibetur ab Ecclesiâ, tum ob periculum perversionis, & ne proles educantur hæreticè. Quare Bellarminus lib. 2. de Matrimonio cap. 23. Valentia q. 1. p. 3. & alii multi absolutè affirmant hujusmodi Matrimonia esse mortaliter mala, etiam ex parte Catholicorum. Existimo tamen, secluso scandalo, & subversionis periculo, posse Matrimonium cum personâ hæreticâ ex dispensatione Pontificis licitè contrahi: ita Sanch. t. 2. d. 72. n. 5. Henriquez l. 12. c. 13. Azor, Salas, & alii. Ad hanc verò dispensationem gravis causa requiritur.

Quid de iis locis, in quibus Catholici permixti vivunt cum hæreticis.

Nonnulli tamen, ut Azor lib. 8. c. 11. Sanch. citatus, & alii innuunt, in locis ubi Catholici permixti vivunt cum hæreticis, ut in Germaniâ, Galliâ, Poloniâ, Matrimonia hæc non esse illicita, cum decreto illi Ecclesiastico per contrariam consuetudinem sit derogatum. Sed quicquid sit de hac derogatione, manet tamen periculum perversionis, & ne proles in hæresi educantur. Quare rarissimè hæc Matrimonia existimo esse licita, præsertim cum, ut docet P. Laymannus tract. 10. parte 4. cap. 14. experienciâ comperitum sit, gravissima ex istiusmodi Matrimoniis provenire solere incommoda: unde non refert legi Ecclesiasticæ contrariâ consuetudine esse derogatum.

De dispensatione inter Christianum & infidelem.

Ex dispensatione etiam Pontificis validum est Matrimonium inter Christianum & infidelem non baptizatum; cum enim hoc impedimentum sit juris tantùm Ecclesiastici, potest in eo Pontifex dispensare. Unde in veterè Ecclesiâ frequentia fuerunt talia Matrimonia, ut ait S. Hieronymus lib. 1. in Jovinianum, & S. Augustinus libro de Fide & operibus, cap. 19. & lib. 9. Confessionum, cap. 9. hoc peculiariter refert de Matre suâ Monicâ. At verò sine dispensatione Pontificis Matrimonium inter Christianum & non baptizatum est invalidum.

XVI.

Provenit ex copulâ carnali.

Quæres decimo-sexto : Quid sit impedimentum affinitatis? Affinitas est propinquitas proveniens ex copulâ carnali, sive sit licita, sive illicita, habita cum fœminâ etiam invitâ; dormiento, insanâ, aut ebriâ, modò semen emit-

tatur in vas naturale fœminæ, quare per copulam sodomiticam non contrahitur affinitas.

Per copulam itaque naturalem inter Caium & Semproniam exempli gratia confurgit affinitas inter Caium & consanguineos Semproniam in eo gradu sive lineâ ascendendum vel descendendum, sive etiam laterali, quo illi sunt consanguinei Semproniam, & idem est de consanguineis Caii respectu Semproniam: unde computatio in his gradibus debet semper incipere à personis in se cognoscen- tibus carnaliter, quæ sunt stipes affinitatis.

Dirimit Matrimonium.

Copula itaque carnalis licita dirimit Matrimonium usque ad quartum gradum inclusivè, illicita verò solùm usque ad secundum juxta decretum Concilii Tridentini ses. 24. c. 4. Unde Caius, qui commisit fornicationem cum Semproniam, potest contrahere Matrimonium cum consanguineâ Semproniam in tertio gradu. Consanguinei Caii non contrahunt affinitatem cum consanguineis Semproniam, nec e contra, unde duo fratres possunt ducere duas sorores, & potest quis ducere illam cujus matrem Pater antea duxerat; nullo enim jure statuitur talis affinitas: ita Sanch. l. 7. d. 67. Henriq. l. 12. c. 10. Bona. q. 3. p. 12. Filiuc. t. 10. p. 2. c. 6. Lay. tr. 10. p. 4. c. 5. Coninck d. 32. d. 4. & alii communiter.

Copula licita, in & illicita.

Quæres: An affinitas dirimat Matrimonium jure naturæ? Affirmant quoad lineam rectam multi apud Sanchez l. 7. d. 66. n. 5. Unde Valentia, Vasquez, Coninck, Layman, c. 6. n. 5. & alii afferunt affinitatem ortam ex Matrimonio dirimere Matrimonium in primo gradu lineæ rectæ jure naturali. Sanch. tamen, Henriq. Bonac. & alii plurimi dicunt solùm jure ecclesiastico dirimere: ex quo à fortiori sequitur nullam affinitatem jure naturæ irritare Matrimonium in lineâ transversâ, sic Jacob duxit duas sorores, & lex Deuter. 27. jubebat fratrem ducere uxorem fratris sine liberis defuncti. Jure itaque naturæ validum est Matrimonium filii cum concubinâ Patris, imo cum Novercâ, & fratris cum uxore fratris mortui.

Quo jure dirimat Matrimonium.

Quæres decimo-septimò : Quid sit impedimentum ligaminis? Ligamen est vinculum prioris Matrimonii, quo stante omne sequens Matrimonium est invalidum; Christus enim Math. 19. hæc Matrimonia irritavit dum ait, ducentem aliam uxorem, primâ dimissâ, mœchari, ergo à fortiori mœchatur ducens aliam primâ retentâ. Imo non jure tantùm ecclesiastico, sed etiam divino & naturali secundario irritum est secundum Matrimonium, nec in eo potest Pontifex dispensare, licet Deus olim dispensaverit ob multiplicationem populi fidelis. Unde inter infideles solum Matrimonium cum primâ uxore est validum, & probabilis est nunquam aliter inter gentiles fuisse: ita Sanchez l. 7. d. 8. n. 12. & 13. Valentia t. 4. d. 10. q. 1. p. 3. Henriq. l. 12. c. 6. Bonac. q. 3. p. 10. Filiuc. t. 10. p. 2. c. 4. n. 161. Coninck d. 26. d. 2. & alii passim. Ut autem fœmina habeat plures maritos natura lex prorsus vetat.

XVII. Ligamen cum unâ uxore impediat secundum.

Quæres, quæ certitudo de morte conjugis requiratur, ut alter conjux licitè transeat ad alias nuptias. Respondetur, talem requiri quæ judicio prudentis viri sufficiat ad faciendam fidem, qualis est si vir interfuisset prælio, & postea per longum tempus non compareat, & fama sit eum esse occisum, vel si qui in eodem prælio fuerunt dicant illum ibi periisse: non tamen merè sufficit diuturna

Quæ certitudo mortis sufficiat ad nuptias conjugum.

diuturna absentia. Quamprimum autem prior maritus comparuerit, debet separari à secundo, nec potest ei cohabitare.

XVIII.
Quid sit raptus.

Quæres decimo-octavo: Quomodo raptus dirimat Matrimonium? Raptus proprie est cum persona aliqua abducitur cum violentiâ ad explendam libidinem, vel Matrimonium contrahendum, unde si vel sponte, vel precibus inducta discedat femina cum viro, etiam in scius parentibus, non dicitur proprie raptus: ita Sanchez lib. 7. d. 13. Lessius l. 4. c. 3. d. 9. Filius, t. 10. p. 2. c. 8. n. 257. Bonacina q. 4. p. 18. Layman t. 10. p. 4. c. 13. Henriquez l. 12. c. 14. Tol. l. 7. c. 13. & alii.

Quomodo dirimat Matrimonium.

Raptus dirimit Matrimonium quamdiu femina est in potestate raptoris, quantumvis liberè in Matrimonium consentiat, si invita fuerit eò prius rapta, sicut etiam sunt irrita sponsalia tunc facta: ita Sanchez, Bonacina, & alii, qui idem dicunt de sponsâ invitâ raptâ post sponsalia liberè ante raptum facta: Henriquez tamen ait tunc validum esse Matrimonium, sicut omnes fatentur esse validum, si sponsa volens abducatur invitâ parentibus. Si femina virum rapiat, validum erit matrimonium, cum Tridentinum solum loquatur de raptu feminae. Validum tamen esset Matrimonium cum tertîa personâ, quæ nullo modo ad raptum illius feminae concurrat, idque licet raptor eâ ipsam intentione rapuerit ut cum illo altero iniret Matrimonium.

Quid si volentibus parentibus abducatur.

Sanchez citatus ait, si volentibus parentibus femina rapiatur invita, Matrimonium esse irritum, secus si illa volens discedat invitâ parentibus, quod secundum negat Henriquez, Navar. Toletus & alii. Emanuel Sa, Henriquez, & alii volunt ad hunc raptum sufficere si solâ libidinis causâ mulier rapiatur: probabilis tamen videtur quod ait Sanchez, Filius, Coninck d. 3. d. 4. & alii solum loqui Concilium de raptu feminae ad contrahendum Matrimonium.

Pœna raptoribus statuta.

Aliæ etiam pœnæ assignantur raptui, ut quodd raptores, fautores, &c. sint ipso jure excommunicati, perpetuò infames, incapaces dignitatum, & si sint clerici, decident de gradu. Raptor etiam tenetur convenienter dotare raptam, sive eam in Matrimonium duxerit, sive non.

XIX.
Impotentia perpetua irritat Matrimonium.

Quæres decimo-nondò: Quomodo impotentia dirimat Matrimonium? Impotentia perpetua, quæ non humanâ arte, vel absque miraculo, arte magicâ, aut periculo vitæ, vel etiam sine peccato, ut non nisi habendo copulam cum aliis viris tolli potest, irritat Matrimonium, nec jure tantum ecclesiastico, sed naturali: ita Sanch. l. 7. d. 93. & sequentibus, Filius t. 10. p. 2. c. 3. Bonac. q. 3. p. 13. Layman t. 10. p. 4. c. 11. Henriquez l. 12. c. 7. Coninck d. 31. d. 7. & alii.

Impotentia respectiva.

Fieri autem potest ut vir respectu unius feminae sit impotens, & femina respectu unius viri, ut si arcta sit, nec sine vitæ (aut gravis morbi secundum aliquos) periculo per incisionem apta huic reddi potest, quo casu irritum est Matrimonium inter illos: possunt tamen cum aliis postea validè contrahere.

Impotentia ex maleficio.

Idem est de impotentia ex maleficio, si post experientiam triennalem sibi à jure concessam, & adhibitis remediis ad averendum maleficio, copulam habere non potuerunt; possunt enim cum aliis contrahere, si tamen certo scirent postea se posse inter se habere copulam, debent ad se iterum, relicto secundo Matrimonio redire: ita Auctores citati. Impotentia autem perpetua superveniens Matrimonio non illud dirimit. Sitne

R. P. Comptonij Theol. Scholast. Tom II.

validum Matrimonium senis decrepiti ad copulam planè impotentis, & qui nullâ arte juvari possit, affirmat Henriquez, & alii, negat Bonac. n. 18. cum aliis.

Hermaphroditus, in quo unus sexus prævalet, validè contrahit secundum illum, si uterque sexus sit æqualis, potest secundum alterutrum contrahere, mortuo autem conjugè peccat si secundum alium sexum nudè contrahat, si tamen faciat, Matrimonium est validum: ita Sanchez, Coninck, Filius, Bonacina, & alii citati.

Hermaphroditus.

SECTIO SECUNDA.

De impedimentis non dirimentibus.

QUÆRES primò: De impedimentis non dirimentibus: Quid sit interdictum Ecclesie, & juris? Hæc impedimenta sunt in duplici genere; quædam enim non ex crimine, alia ex crimine confurgunt. Prioris generis sunt hæc quinque.

Impedimenta non ex crimine.

Ecclesia vetitum, nec non tempus feriatum, Atque catechismus, sponsalia, iungito votum, Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Posterioris generis sunt hæc septem:

Incestus, raptus sponsata, mors mulieris, Susceptus propria soboles, mors presbyteralis, Velsi pœniteat solemniter, aut monalem Accipiat, prohibent hæc conjugium sociandum.

Impedimenta ex crimine.

Primum itaque impedimentum est prohibitio Ecclesie, quando scilicet persona aliqua Ecclesiastica, ut Episcopus, aut alius Judex Ecclesiasticus, imo parochus prohibet ne aliqui contrahant Matrimonium ratione scandali, vel donec impedimentum aliquod examinetur: cui prohibitioni contravenire est peccatum mortale, cum materia sit gravis: ita Sanchez l. 7. d. 6. n. 6. & d. 7. Filius t. 10. p. 2. c. 9. Bonacina q. 3. p. 14. n. 2. 3. & 4. Coninck d. 30. d. 3. Bellarm. l. 1. de Matrim. c. 31. Layman t. 10. p. 4. c. 15. & alii.

Prohibitio Ecclesie.

Secundum vocatur prohibitio juris, per quam scilicet certis diebus à Concil. Trident. l. 24. c. 10. interdicatur celebratio Matrimonii, nempe à primo die Adventus, seu à mediâ nocte antecedente usque ad diem Epiphaniæ, & similiter à feriâ quartâ cinerum usque ad octavam Paschæ inclusivè.

Prohibitio juris.

Hoc ergo tempore Matrimonia publicè & solemniter benedicere est peccatum mortale, & Sacerdos graviter arbitrio Judicis Ecclesiastici puniri debet, & contrahentes ad tempus separari, aut aliâ pœnâ mulctari, si sit periculum incontinentiæ. Matrimonium autem his temporibus contrahere, etiam præmissis denuntiationibus, sponsam in domum sponsi sine solemnitate, id est convivii, tripudiis, & similibus deducere, & Matrimonium consummare non est prohibitum: ita Sanchez, Filius, Bellarminus, Navarrus, & alii, nisi contraria consuetudo aliud exigat, ut est in Germaniâ, teste Lay. num. primo.

De Matrimonio publico.

Matrimonium privatum.

Quæres secundò: Quomodo impediatur Matrimonium catechismus, sponsalia, & votum? Is qui tenet puerum in catechismo, id est, qui respondet interrogationibus quæ fiunt à Sacerdote ante januam Ecclesie super baptizandum, contrahere dicitur cognationem spiritualem imperfectam cum iisdem personis, cum quibus contrahit tenens puerum in Baptismo, sive hoc fiat ante sive post Baptismum, quæ cognatio in Baptismo

II.

Quomodo impediatur Matrimonium Catechismus.

à Concilio Tridentino restricta est ad primum gradum, ut supra vidimus. Unde juxta Navarum, Valentiam t. 4. d. 10. q. 5. p. 4. & alibi, peccat is qui cum illa personâ, vel ejus parente contrahit Matrimonium.

Hoc videtur sublatum.

Sanchez tamen l. 7. d. 10. n. 12. Henriq. l. 12. c. 2. Sa, & ut probabile Filiucius t. 10. p. 2. c. 9. n. 273. Layman t. 10. p. 4. c. 15. n. 2. & Bonacina q. 3. p. 14. n. 6. dicunt nullam in hoc contrahi cognationem, sed hoc impedimentum à Concilio Tridentino fef. 24. c. 2. esse sublatum, cum nullam de hoc impedimento ibi faciat mentionem.

Sponsalia.

Sponsalia inducunt obligationem gravem ad standum sponsalibus, unde peccat graviter qui his non dissolutis contrahit Matrimonium cum aliâ personâ: ita Sanchez l. 1. d. 27. n. 2. Bonacina q. 3. p. 14. n. 5. Filiucius c. 9. n. 274. Coninck d. 30. d. 3. n. 23. & alii.

Quo pacto votum impediatur matrimonium.

Qui emisit votum castitatis, religionis, sacrorum ordinum, aut non nubendi (idem est de juramento) licet si contrahat Matrimonium, illud sit validum, cum res uni promissa possit alteri valide dari, cum dominium illius rei non abdicaverit à se per promissionem, peccat tamen graviter contrahendo, cum faciat contra votum, ponendo se in statu, in quo servare illud non possit: ita Sanchez l. 7. d. 11. n. 4. Filiu. t. 10. p. 2. c. 9. n. 275. Bonacina n. 7. & alii. Unde etiam peccat mortaliter qui scienter contrahit cum habente hæc vota, nisi sub conditione dispensationis obtinenda.

Quid si quis habeat firmum animum ingrediendi religionem.

Quæres, an habens votum religionis aut castitatis possit inire Matrimonium firmo animo ingrediendi religionem ante consummationem? Affirmat Henricus, Caietanus, & alii apud Sanchez, qui ait hoc esse probabile. Contrarium tamen multo est probabilius, tum quia exponit se periculo manifesto mutandi mentem, & violandi votum, tum ob injuriam factam conjugii: ita Sylvester, Navarrus, Henriquez l. 12. c. 2. n. 8. Sanchez l. 1. d. 43. n. 6. & alii. Si tamen habens votum castitatis inerat Matrimonium cum firmo proposito ingrediendi religionem ante consummationem, non tenetur eo contracto ingredi; nec enim votum castitatis ad hoc eum obligat, nec ingrediendi propositum: ita Sanchez n. 9. contra Scotum, Caietanum, & alios.

III.
Quomodo impediatur incestus.

Quæres tertio: Quomodo incestus impediatur Matrimonium? Incestus hic est fornicatio cum affine in gradibus prohibitis, unde vir qui habuit copulam cum consanguineâ uxoris usque ad quartum gradum, sciens esse consanguineam ejus (idem est de uxore respectu consanguineorum viri) non potest mortuo altero conjugè contrahere licet Matrimonium cum quacunque aliâ personâ. Non tamen incurrit hoc impedimentum si ignoret esse consanguineam: ita Sanchez l. 7. d. 15. Filiucius t. 10. p. 2. c. 9. n. 283. & 284. Bonacina q. 3. p. 14. n. 10. & alii.

Quid si per vim fiat.

Nec tantum conjugibus incestus reis interdicatur Matrimonium, sed illis etiam quibuscumque habita est talis copula, si scirent esse copulam incestuosam. Si autem mulier vi oppressa sit, solus opprimens contrahit hoc impedimentum. Non autem extenditur hoc impedimentum ad cognationem legalem aut spiritualem, imo nec ad incestum quem uxor committeret cum suis consanguineis, aut maritus cum suis; cum enim sit lex pœnalis, non extenditur ad plura quàm exprimentur in jure.

Sanchez n. 5. Bonacina n. 17. Filiucius n. 281. & alii contra Angelum & alios dicunt hoc impedimentum extendi ad copulam habitam cum consanguineâ sponse de futuro in primo gradu, solum tamen durare vivente complice, quod secus contingit in copulâ cum consanguineâ sponse de præsentî, seu ante Matrimonium consummatum; est enim impedimentum perpetuum, etiam mortuâ uxore, juxta Auctores citatos. Idem affirmat Sanchez, Bonacina, Filiucius, & alii de habente copulam cum consanguineâ uxoris post mortem uxoris, Sotus tamen, Henriquez, Sa, Layman t. 10. p. 4. c. 5. n. 2. & alii hoc negant.

Quid si hæc fiat cum consanguineâ sponâ.

Quæres quarto: Quomodo raptus alienæ sponse, uxoricidium, suscepio prolis, Presbytericidium, pœnitentia publica, Matrimonium cum moniali, impediatur Matrimonium? Qui rapuit alienam sponsam, sive de præsentî, sive de futuro, non potest licet contrahere Matrimonium cum ullâ personâ, sicut nec sponsa ipsa, si consensum præbuit: ita Sanchez l. 7. d. 12. n. 43. Henriquez l. 12. c. 2. Filiucius c. 9. n. 286. Bonacina n. 13. quamvis Sanchez neget de sponsâ de futuro.

IV.
Raptus spon.

Idem est si vir injustè occidat uxorem, licet Sa & Bonacina dicant non incurri si occidat repertam in flagranti. Henriquez & alii dicunt incurri hoc impedimentum ab uxore occidente maritum, quod tamen negat Sanchez, Toletus, Filiucius, & Bonacina.

Uxoricitium.

Si quis etiam prolem communem utriusque conjugii vel alterius solius conjugis suscipiat in Baptismo aut Confirmatione, vel illam baptizet infidando Matrimonio ut cognationem contrahat cum altero conjugè, & debitum conjugale impediatur, non potest mortuo conjugè Matrimonium aliud contrahere: ita Sanchez l. 7. d. 6. n. 8. Filiucius, Bonacina, & alii.

Susceptio proli.

Sic qui occidit injustè Sacerdotem non potest licet contrahere Matrimonium, & licet multi exheretici requirant ut sit convictus, communior tamen sententia ait hoc non requiri: ita Filiucius c. 9. n. 290. & alii.

Occisio heretici.

Idem est de eo qui agit publicam pœnitentiam, hæc durat, sed hæc pœnitentia jam non sunt in usu: Sanchez d. 6. n. 10. & alii.

Publica pœnitentia.

Tandem qui Matrimonium scienter contrahit cum moniali professâ impeditur quo minus unquam contrahat Matrimonium: Sanch. d. 6. n. 12. Bonacina n. 20. & alii.

Sanchez tamen l. 7. d. 17. n. 9. Navarrus, Sotus, Henriquez l. 12. c. 2. Coninck d. 30. d. 3. n. 25. Layman t. 10. p. 4. c. 15. sine dicunt hæc impedimenta, præter impedimentum voti, sponsalium, & interdicti, usu jam & communi consuetudine esse sublata, sicque nullum esse peccatum iis qui hæc crimina admiserunt, contrahere Matrimonium sine dispensatione: Bonacina tamen n. 21. Toletus, & alii asserunt esse peccatum mortale.

Multa ex his jam non sunt in usu.

Quæres quinto: Quis possit in impedimentis Matrimonii dirimentibus dispensare? In impedimentis dirimentibus jure naturali, non potest Summus Pontifex dispensare, unde secundum diversas sententias de gradibus hujus impedimenti in lineâ ascendenti & descendenti, vel etiam transversâ, aut affinitatis, potest, vel non potest dispensare. Ratio est, quia esset occasio multorum malorum: ita Sanch. l. 8. d. 6. Filiu. t. 10. p. 2. c. 10. n. 301. Bonac. q. 3. p. 15. n. 2. Layman t. 10. p. 4. c. 6. & alii.

V.
De dirimentibus jure naturali.

Dirimentia jure Ecclesiastico.

In impedimentis jure humano seu ecclesiastico tantum dirimentibus potest Summus Pontifex dispensare, cum sit superior, ut tamen licite faciat requiritur justa causa, unde à fortiori sequitur posse dispensare in impedimentis non dirimentibus, exceptis sponsalibus: ita Sanchez l. 2. d. 40. Bonacina n. 2. Filiucius n. 302. & alii.

Quid hac in re possit Episcopus.

In his etiam impedimentis dirimentibus potest Episcopus dispensare, quando Matrimonium bonâ fide publicè contractum est, & impedimentum occultum, nec conjuges possunt sine magno scandalo separari, nec propter pauperem aut loci distantiam, vel alia justa impedimenta recurri potest ad Pontificem, nec ad Nuncium Apostolicum, qui potestatem haberet dispensandi, quamvis Henriquez l. 6. de Pœnitentiâ, c. 10. n. 1. & l. 12. de Matrim. c. 3. n. 1. dicat posse Episcopum dispensare, etiam quando potest recurri ad Nuntium, quod tamen negat Sanchez, & Bonacina: ita Sanchez l. 2. d. 4. addens n. 7. posse Episcopum in casu aliquo valdè extraordinario dispensare in impedimento detecto etiam ante contractum Matrimonium, Bonac. n. 4. & 6. Filiucius n. 302. & alii.

VI. Impedimenta non dirimentia.

Quæres sextò: An Episcopus possit dispensare in impedimentis non dirimentibus? Præter votum castitatis & religionis, ac sponsalia potest Episcopus ex consuetudine dispensare in impedimentis solùm impedientibus: ita Sanchez l. 7. d. 57. num. 15. Filiucius tr. 10. p. 2. c. 10. n. 305. Bonacina quæst. 3. p. 15. num. 3. & alii, non tamen in interdicto, nisi à se vel ab alio sibi inferiori posito, nec in incestu, nisi is qui illum commisit sit juvenis, id est non sexagenarius.

Circa impedimentum voti castitatis & religionis posset quidem Episcopus dispensare, nisi Papa sibi reservasset; cum illis enim qui sibi in suâ diœcesi sunt subditi potest Episcopus in iis omnibus dispensare, in quibus Summus Pontifex respectu totius Ecclesiæ, nisi reserventur: ita Sanchez lib. 8. d. 9. num. 3. Filiu. & alii.

Votum Castitatis & religionis.

Restringenda tamen est hæc reservatio, cum sit odiosa; utpote derogans juri Episcoporum, unde potest Episcopus dispensare in omni voto castitatis quod non est usquequaque integrum & simpliciter tale: dispensare itaque potest in voto castitatis per mensem, annum, &c. & in perpetuo voto castitatis conjugalis; cum primum non sit integrum ex parte temporis, alterum ex parte materiæ: item in voto non nubendi, in voto suscipiendi sacros ordines, in voto etiam disjunctivo, cujus altera pars est reservata, altera non, ut voeo castitatem vel jejunare singulis diebus Sabbati; ipse enim potest eligere partem non reservatam, in qua potest Episcopus dispensare.

In quibus votis castitatis dispensare possit Episcopus.

Circa votum religionis etiam potest dispensare in omni quod non est simpliciter tale, ut in voto religionis strictioris, dispensando ut transeat ad laxiorem, in voto perseverantiæ, cum solus ingressus significetur nomine voti religionis, sicque hoc solum est reservatum, item in differenda executione voti religionis, ut per mensem aut annum, præterea in materiâ in quam commutatum est votum reservatum, ut si votum castitatis aut religionis commutatum sit in jejunia aut quid simile, potest Episcopus hanc materiam commutare in aliam: ita Sanchez d. 9. 10. & 11. Filiucius c. 10. num. 307. & alii.

Idem est de votis religionis.

DISPUTATIO CENTESIMA QUINTA.

Discutiuntur reliqua circa Matrimonium.

SECTIO PRIMA.

De divortio.

I. Quomodo differat à repudio.



QUÆRES primò: Quid sit divortium, & an adulterium sit causa sufficiens illius? Divortium est legitima viri ab uxore, vel econtra, separatio: differt à repudio quod divortium sit solùm quoad habitationem & torum, repudium autem quoad vinculum, unde illud justis de causis semper fuit licitum, hoc licet olim fuerit permillum Judæis, & iis licitum, ut putat S. Chrysostomus, Belarminus, Sanchez l. 10. d. 1. num. 7. & alii, quamvis S. Hieronymus, Magister, D. Bonaventura, Halensis, Navarrus, & alii negent, sed permillum tantum fuisse dicunt majoris mali vitandi gratia, S. Thomas verò utrumque de-

fendit problematice, Gentilibus tamen semper fuit illicitum, cum iis Deus id non permisisset, sicut nec modò licitum est Judæis, cum Christus Matth. 19. illud sustulerit, & legem naturalem vigori suo restituerit.

Adulterium est causa sufficiens tam ex parte femina quam viri ad faciendum divortium perpetuum: ita Sanchez l. 10. d. 3. Coninck d. 35 d. 11. Filiucius t. 10. p. 1. c. 10. n. 364. Bonacina q. 4. p. 5. n. 2. Layman t. 10. p. 3. c. 7. n. 7. & alii communiter. Ratio est, quia cum adulterans faciat contra fidem in Matrimonio datam, non tenetur alter ei promissum amplius servare, nec debitum reddere. Non tamen sufficit solus animus committendi adulterium, nec alii actus impudici qui non perveniunt ad copulam, cum per hos non dividatur caro, & consequenter nec Matrimonium percujus consummationem conjuges facti sunt una caro. Sufficit tamen actus sodomiticus, vel cum bestia, vel cum alio homine præterquam

Causa sufficiens divortii est adulterium.